



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XLI. De Sepultura Ecclesiastica puteo suffocati.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155

tuus est, & tales non sunt tolerandi in cœmeteriis, eò quòd suffragiorum omnium sint incapaces. Huic tamen responderi potest, probabiliùs hunc hæreticum solùm materiale fuif-

se, edidisse præterea signa doloris de cæteris, quæ commisit se se sciverat, peccatis, consequenter nequaquam impœnitentibus finalibus annumerandum esse.



Casus XLI.

De Sepultura Ecclesiastica puteo suffocati.

Rusticus quidam, postquam in hospitio multoties in crapula Sacramenta blasphemâset, sera nocte domum rediit, & altero die in puteo suffocatus invenitur, occasione hujus.

Quærit. 1. Num omnis in mortali notorio decedens sepulturâ Ecclesiasticâ sit spolian- dus?

Quær. 2. Num in his circumstantiis decedens rusticus exciderit jure ad sepulturam Ecclesiasticam?

§. I.

Synopsis.

Resolvitur primum quæsitum.

Num omnis in mortali notorio decedens sepulturâ Ecclesiasticâ sit privandus?

1. Responso est negativa.
2. Quia talis suum ad sacram sepulturam jus ex nulla lege amisit.
3. Non omnes Canones in Decreto Gratiani detenti Ecclesiasticæ legis vim obtinent.
4. Nulla pœna, nisi expressa Jure statuatur, irroganda est, & concessum est, omne quod non est expressè prohibitum.
5. Carentia sepulturæ deceden-

N n n 2

den-

dentem in quolibet mortali non privat *Cap. ad audientiam. de corneamentis.*

6. Neque *cap. 11. ex parte de sepulturis.*
7. Neque *Cap. 12. de Sepulturis.*
8. Neque *Cap. 14. distinct. 28.*
9. Neque *Can. 16. causa 13. q. 2.*
10. Neque *Can. 21. ex hac ipsa causa 13. q. 2. allatus.*
11. Aut *Canon 31. causa 13. q. 2.*
12. Uti nec *cap. 27. de Sepult.*
13. Neque *Can. 1. causa 24. q. 2.*
14. Ex *Glossa 10 cap. 11. de Sepulturis* etiam nihil probatur.
15. Quidamam *Glossæ* aliqua vis sit attribuenda?
16. Neque aliquid evincunt *Pastorale Romanum, & Eustetense.*
17. Neque ex autoritate spoliantium talem sepultura sacra.
18. Neque ex praxi multarum *Dioecesium.*
19. Nisi ob hanc introductam ex ejusmodi sepultura scandalum oriatur.
20. Ex *Can. placuit. causa 23. q. 5.* sepultura taliter defuncto denegari non poterit.
21. Cur preces pro talibus dici non debeant, sepeliri tamen illi possint?

§. II.

Resolvitur secundum
Quæsitum.

Num in allatis circumstantiis decedens rusticus sepultura Ecclesiastica sit privandus?

22. Ebrietas formaliter, aut tantum materialiter est contra sobrietatem.
23. Periculum ebrietatis non advertens à mortali excusatur.
24. Ob solam ebrietatem noster rusticus non videtur sepulturam privandus
25. Ob submersionem in puteo non erit sepulturam spoliandus.
26. Neque ob blasphemias in ebrietate prolatas.

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum.

Num omnis in mortali notorio decedens Ecclesiastica sepulturam sit privandus?

Re-

Responso nostra est negativa, & probatur hoc syllogismo. In dubio melior est conditio possidentis, nec ullus à sua possessione dejiciendus est, nisi certo constet eundem suo præhabito jure excidisse: ergo cum quilibet Catholicus habeat jus ad sepulturam sacram in dubio non erit privandus &c. atqui vel maximè dubium est, an quilibet moriens in peccato mortali notorio amiserit hoc suum jus: ergo &c.

2 Minor probatur. Hoc suum jus non amiserit, neque ex jure naturali, neque ex Divino, neque ex Ecclesiastico: ergo &c. Quòd neque ex dispositione juris naturalis, neque ex Divini amiserit, ipsimet contrariæ sententiæ patroni nequaquam abnuunt: quòd autem Ecclesiastica jura etiam nõ statuerint, omnem in peccato mortali notorio decedentem esse privatum sepulturâ, probamus ostendendo textibus in contrarium allatis nihil probari, ac intentum adversariorum nequaquam evinci.

3 Supponimus autem, quòd nequaquam omnes Canones in Decreto Gratiani contenti ap-

probati juris, aut Ecclesiasticæ legis vim obtineant, consequenter, quòd quilibet ad suos fontes, atque originem sint reducendi, prout tuentur Antonius Butrio in *Decreto S. sanè, n. 20.* Henricus Canisius in *summa. lib. 8. tit. 1.* Suarez *lib. 4. de LL. cap. 5. n. 6.* Rodriquez *tom. 1. Reg. c. 6. n. 2.* Layman. *l. 1. Theolog. Mor. tract. 5. cap. 6. n. 12.* & Andre. Mendo *l. 1. de Jure Academico. q. 28. n. 526.* Wiestner in *disfert. Proæm. n. 90.* contra Pannormitanum, Felinum, Tuscum Mortham.

Ratio autem hoc asserendi ex eo desumitur, quòd Gratiano, utpote homini privato, condendæ legis autoritas non competat: ex altera parte nullum Concilium, nullus Pontifex volumen Gratiani Ecclesiastico Juri annumeraverint. Quòd enim Eugenius III. vim aliquam eidem contulerit, nullo sufficiente argumento probari potest; Gregorium XIII. quod concernit, fuit Decretum Gratiani ab hoc Pontifice quidem emendatum, & præfatione quadam instructum, hæc tamen nullum alium effectum producit, quàm

quòd citati in eo ex variis Authoribus textus, ac Canones cum suo originali concordent. Nec tacitè hoc Decretum approbatum fuisse, ex eo bene inferes, quòd Pontifices optimè conscii permittant illud in foro, & scholis passim allegari; supponunt enim ab omnibus illam duntaxat auctoritatem eidem attribui, quam à fonte, è quo derivati sunt, acceperunt. Unde, quæ ex SS. Patribus, præsertim Ecclesiæ Doctoribus deprompta fuerunt, Magistralia potiùs, quàm legalia habenda sunt; interea tamen consuetudine introductum fuit, ut in resolvendis causis, quarum decisio non satis explorati juris solet esse, ejusmodi SS. Patrum, atque DD. sententiis in foro externo constituti Judices utantur. Prout innuitur *Can. 1. dist. 20.* his ergo pro fundamento præmissis.

4. Ulteriùs insinuamus nullam pœnam irrogari, nisi expressè jure statuatur: concessum etiam dici, quidquid expressè prohibitum non reperitur, cum inclusio unius sit alterius exclusio. Odia etiam, quibus jure merito annumerantur leges pœnales,

restringenda esse, nec istas à casu expresso extendendas ad non expressum, licèt pro aliis eadem quoque ratio videatur pugnare.

Ex duobus istis principiis fundamentalibus facillimè ostendimus, volentibus defendere quælibet in peccato mortali notorio discedentem sepultura privari, neutiquam suffragari cap. *ad Audientiam de torneamentis*, eò quòd istud sepulturâ Ecclesiasticâ illos duntaxat privet, qui ex condicito ad torneamenta convolârunt, è quibus mortes hominum, & pericula animarum sæpe proveniunt: ut ergo suos fideles Ecclesia à tam periculosis congressibus absterreat, prudentissimè hanc pœnam talibus duellantibus statuit, utique non extendendam ad quemcunque alium casum, ab adducto longissimè diversum.

Æquè parùm probatur cap. *11. ex parte de sepulturis.* in hoc enim Pontifex requisitus fuerat, num sepeliendus esset, qui de ponte casu decidens aquis suffocatus fuerat, & respondit eundem esse sepeliendum, pro ratione afferens, quòd, cui communicabitur viventi, communicandum sit jam defuncto. Ex

hoc

hoc autem non bene inferitur à contrario, quòd hæc puella, si fuisset in aliquo peccato mortali notorio, vel se ipsam præcipitasset, non fuisset mandanda sepulturæ, & quòd omnis in peccato mortali notorio discedens hoc ipso non sit sepeliendus, Ratio est, quòd in odiosis, qualis vel maximè est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ, argumentatio à contrario habeatur pro invalida. Dein Pontifex respondit ad casum propositum; quid autem in aliis circumstantiis esset faciendum, nequaquam expressit.

Ad extremum, etsi omnis suicida, seu suiipsum interfector spoliandus foret sepulturâ Ecclesiasticâ, non tamen ex eo quilibet alius peccator publicus erit illâ spoliandus; de suicidis enim hæc pœna expressè statuitur in *cap. placuit causa 23. q. 5.* Quin imò ratio à Pontifice adducta facit contra adversarios: Pontifex enim dicit, esse communicandum cum mortuo, cum quo comunicabamus adhuc vivente: atqui etiam cum notorio peccatore, v. g. fornicario comunicamus, eò quòd nulla excom-

municatio in quemlibet fornicatorum sit lata.

Multò minùs adversarii pro se adducere possunt *cap. 12. de sepulturis*; in hoc enim nil aliud statuitur, quàm, ut careant Ecclesiasticâ sepulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiâ unitate (intellige per excommunicationem) præcisi, nec in articulo mortis reconciliati fuerint: cum ergo non omnis notorius peccator sit ab Ecclesiâ per excommunicationem sejunctus, ex hoc textu non inferitur, quòd talis sit spoliandus sepulturâ.

Quòd si inspiciamus *cap. 14. dist. 28.* ibidem hæc habentur: *neque apud Altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & Ministros voluit avocare.* Hæc autem ad intentum hoc nihil facere inde probamus, quòd hoc assertum sit tantum unius S. Patris Cypriani scilicet assertio; ex altera autem parte non statim unius S. Doctoris opinio vim & efficaciam universalis cujusdam legis obtineat. Secundò in hoc casu nihil agitur de sepultura neganda. Tertiò hæc pœna, tanquam statuta in Ecclesiasticâ immu-

munitatis violatores, tanquam odiosa, ad alios casus non expressos nequaquam est extendenda.

9 Pergimus ad cap. 16. caus. 13. q. 2. Licet enim in hoc textu dicatur à sacris locis adjuvari non posse, quibus peccata dimissa non sunt, & de sua præsumptione judicandos esse, qui in sacris locis se sepeliri faciunt, nulla tamen ibidem vel minima mentio fit, quòd à sepultura Ecclesiastica sint excludendi: aliud enim est sepulturam talibus non prodesse, & aliud hanc illis denegandam esse. Accedit his omnibus, quòd non sit Canon Ecclesiæ, sed Divi Augustini sententia.

10 Ex hac ipsa causa 13. q. 2. adducunt Canonem 21. qui ita sonat: *Es quamvis omnes peccatis subjaceamus, congruit, ut Sacerdos pro mortuis Catholicis memoriam faciat, & intercedat, non tamen pro impiis, quamvis Christiani fuerint, rale quid agere licebit.* Sed nec iste textus est efficax, tum quia in hoc nulla mentio de sepultura omissione fit, tum quia est opinio Gregorii II. in Dialogis, ut Doctoris privati hæc scri-

bentis Bonifacio Episcopo in ultima Epistola.

Ulterius licet in *Can. 31. causa. 11. q. 2.* fures, & latrones, si in furando, aut depradando occidantur, agnoscantur, & declarantur indigni, ut pro iis oretur, nulla tamen ibidem mentio de carentia sepulturæ fuit facta. Dein ratio hoc specialiter statuendi pro furibus, aut prædonibus erat grave damnum, quod tales delinquentes proximo, & bono communi inferunt, consequenter gravioribus etiam poenis coercendi, & absterrendi sint.

Æquè impertinens ad hunc finem est *cap. 27. de sepult.* in quo habetur: *Ecclesiam, in qua Paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Missam in ea celebrare.* Nam per nullam consequentiam ex illo infertur: ergo omnes alii in mortali decedentes sunt privandi sepulturâ Ecclesiasticâ. Accedit, quòd sit Canon provincialis duntaxat Auresicani scilicet Concilii.

Idem respondemus ad *cap. 28. eodem tit. ibi: in qua mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet.*

De-

13 Denique pariter nihil probatur ex *Can. 1. causa. 24. q. 2.* in quibus dicit Leo: *Nos autem, quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare non possumus.* Ratio est, quòd hìc nulla mentio fiat, & sermo de excommunicatis duntaxat habeatur, à quibus non bene in pœnalibus extensio fit ad non excommunicatos.

Postquam ostendimus ex nullo Juris textu intentum adversariorum probari posse, superest, ut ostendamus, etiam Glossam in *cap. 11. de sepulturis.* malè ab iis pro se adduci. Sciendum itaque, à Glossa ibidem dici, pœnas ibidem contentas ad singulos in peccato mortali discedentes extendendas esse; quod tamen falsum esse, inde constat, quòd hac ratione odia, quæ sunt restringenda, extendat, & quòd Canones quosdam particulares pro universalibus obrudat, & iisdem vim legis, quam nunquam habuerunt, attribuat. Item pro ratione suæ extensionis refert se ad *Can. 16. caus. 13. q. 2.* quasi ibidem hoc assereretur, quod tamen neutiquam fit, & si fieret, est ille textus Divi Augu-

stini ut personæ privatae, nec vim legis introducere potentis. Idem respondemus ad Glossam in *cap. de usuris tertium.*

Dicent adversarii magna est 15 authoritas Glossæ, & in ambiguarum causarum decisionibus sequenda, præsertim si eam sequantur tot Authores, uti in hac materia contingit. Resp. Glossæ tunc aliquam vim competere, cùm jure vel ratione nititur, & à textu non discedit: quæ tamen in præsentì casu non observantur.

Opponent ulteriùs etiam pastoraliale Romanum, & Eustetten- 16 se, quorum utrumque sepulturam Ecclesiasticam denegat *manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine penitentiâ perierunt:* Item Romanum in cura pro defunctis. §. 7. sic habet: *Sacra sepultura nulli conceditur, qui more fidelium se per Sacramentorum susceptionem ad salutarem exitum non præparavit.*

Sed respondeo 1. Ad Pastoraliale Romanum, habere istud tantummodo rationem instructionis, non autem sub peccato sequendum esse, quia nullam Bullam præfixam habet, quæ

O o o

ob-

obligationem circa hoc punctū imponeret, non secus ac rubricæ Missalis, contra quas à magnis viris agitur sine scrupulo peccati.

Ad Rituale Eustettense dico, ibidem quidem mandari observationem illius; nego tamen, quòd in eodem prohibeatur, ut omnes tales notorii peccatores sepulturâ Ecclesiasticâ spoliarentur: quod colligimus ex primis verbis memorati Ritualis, quæ ita sonant: *Ignorare non debet Parochus, qui ab Ecclesiastica sepultura ipso jure NB. sunt excludendi, nequaquam illorum contra SS. Canonum Decreta ad illam nunquam admittat*: ergo Christophorus Episcopus, qui est Author illius Bullæ nil aliud intendit, nisi ut Canones, & Jura universalis Ecclesiæ circa sepulturam exactè serventur: at nulli tales Canones universales dantur: ergo &c.

Confirmatur; Lex antiqua reflexa jubet id, ad quod etiam directa obligat: ergo si noscamus, legem directam non esse veram legem, sed pro tali tantum fuisse habitam, etiam illa reflexa non obligabit. Atqui hæc lex Eustettensis est tantum reflexa in

legem, quæ re ipsa non datur: ergo &c.

Objicient autem: datur maximus consensus Authorum negantium sepulturam taliter defunctis: sed ab hoc non est recedendum: ergo &c. Resp. juxta Vasquez *1. 2. disp. 62. num. 2.* Azorium *l. 2. c. 17. q. 6.* Filiucium *tract. 21. n. 135.* viro docto sufficit proprium judicium sine Authore, si habeatur firma ratio: cum enim lex de sepultura sit tantum humana, nisi evidenter ostendatur, non obligabitur: atqui non ostenditur: ergo Auctoritas Doctorum non obstat.

Objic. Ulterius praxin & consuetudinem Dioecesium negantium sepulturam indiscriminatim omnibus in mortali notorio decedentibus: ergo &c. Resp. negando vigere talem consuetudinem, quis enim meminit aliquem in peccato gravi decedentem sepulturâ Ecclesiasticâ privatum fuisse extra casus jure expressos. Dein demus vigere talem consuetudinem, ea tamen cum ex errore orta fuerit, non obligabit: cum enim ad consuetudinem introducendam con-

consensus operantium exigatur, errantium autem non sit consensus, errantium etiam non erit consuetudo. Imò alicubi consuetudo prorsus contrarium obtinet, ubi hæretici cum Catholicis sepeliuntur, adeoque in mortali notorio decedentes.

- 19 Quòd si autem jam alicubi talis consuetudo non sepeliendi jam introducta esset, ac propterea ex sepultura talis decedentis timeretur scandalum, propter scandalum non esset sepeliendus.

Possset autem oriri duplex scandalum 1. in plebe, quæ crederet, cum peccato hæc à Parochis non observari, secundo etiam inter Clericos, qui existimarent Decreta Episcoporum parvi pendi, indeque sumerent, & ipsi audaciam Episcopi Decreta violandi.

- 20 Objic. Adhuc sententiæ contrariæ Patroni. Juxta allatos à se textus non est licitum orare, vel Sacrificium offerre pro talibus notoriis peccatoribus, ergo neque illos sepelire licebit. Probatur conseq. non sunt sepeliendi in loco sacro, pro quibus non licet orare: ergo &c. Prob, an-

tec. nullus privatur Ecclesiasticâ sepulturâ, pro quo licet oblationes, & orationes offerre, uno casu excepto, de quo in *cap. felicis. de torneamentis*. in hoc enim loco conceduntur Sacramenta illi, qui in torneamento decessit, sepultura verò Ecclesiastica, licet priore quid minus sit, denegatur. Resp. quòd pro publicis peccatoribus mortuis, si decesserint sine pœnitentia non liceat orare, adversarii adducunt *Can. placuit. caus. 23. q. 5.* atqui hic Canon solummodo loquitur de iis, qui sibimetipsis violentam inferunt mortem, ergo non universaliter tenendum, aliis, non suicidis, etiam denegandam sepulturam esse. Quòd si fundent se in ibidem adjecta Glossa verbo commemoratio, & verbo *ad sepulturam*: Item in Glossa in *Can. pro obeuntibus caus. 13. q. 2.* & in Glossa in *Can. quicumque Clericus. caus. 23. q. 8. verbo sepultura*, jam fuit ad hoc à nobis responsum, quod Glossam in *Can. pro obeuntibus* concernit, dicit illa Ecclesiam non orare pro illis, de quibus evidens est decessisse in mortali, pro exemplo autem solos suicidas

das adducit, ergo de his solis illi Glossæ sermo fuit.

21 Urgent: Quando aliquis committitur Ecclesiasticæ sepulturæ, etiam pro illo oratur, & Sacrificium offertur: ergo, cum ex citatis textibus constet, non esse licitum pro talibus oblationes facere, atque orare, neque licebit illos sepelire. Resp. in cap. placuit caus. 23. q. 5. definiri à quodam Concilio Bracarenfi (quod tamen non fuit generale) suicidas non esse sepeliendos cum Psalmis: ergo sine Psalmis poterunt sepeliri, prout sepeliuntur, qui ob sua delicta morte fuerunt puniti.

Dices: si orationes non sunt pro illis faciendæ, neque sepultura concedenda: quia hæc æquè ipsis non prodest, sicut non prodest oratio. Resp. unicum finem orationis esse. ut mediante ista liberentur à pœnis purgatorii: ergo sunt preces tales inutiles. Econtra sepultura in loco sacro non unicè intenditur ob liberationem animæ è purgatorio, sed privatio illius singulare dedecus in familiâ refundit.

Cap. Placuit caus. 23. q. 5. ita habet: Placuit, ut sibi ipsi volun-

tariè, aut per ferrum, aut per venenum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsus pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum Psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi per ignorantiam usurpant, similiter & de his placuit fieri, qui pro suis sceleribus puniuntur. In hoc textu advertendum, quòd dicat, non esse ad sepulturam deducenda illorum cadavera cum Psalmis: ergo sine Psalmis sunt deducenda. Respondet quidem Glossa sepulturam caninam intelligendam esse.

Contra tamen est, quòd canina, seu non sacra sepultura hinc non intelligatur, exinde videtur probari, quòd eodem modo Capitulum loquatur de illis, qui ob scelera sua puniuntur: atqui etiam isti solent in sacris locis sepeliri. Videtur igitur iste Canon in tam stricto sensu non accipiendus, vel jam abolitus esse contraria consuetudine.

§. II.

Resolvitur secundum
Quæsitum.

Num in allatis circumstantiis decedens rusticus sepulturâ Ecclesiasticâ sit privandus?

TRia in hoc rustico concurrunt, quæ dubiam faciunt sepulturam illius. Ebrietas, blasphemix, quas in hospitio evomuisse fertur, denique mors ex præcipitatione in puteum causata.

In priore §. examinavimus, nequaquam cuilibet in quocunque mortali decedenti sepulturam Ecclesiasticam denegandam esse. Posito autem, quòd talis pœna in quocunque peccato decedenti sit statuta, modò examinandum, utrum ex nullo capite in his circumstantiis decedens rusticus excusari possit, quo minùs statutam hanc pœnam incurrerit.

²² Ut igitur ab ebrietatis vitio incipiamus, potest hæc vel formaliter, vel materialiter duntaxat contra sobrietatem esse.

Formaliter sobrietati est contraria, quando aliquis putans fecuram ebrietatem, vel de hac suspicans i aut dubitans, non deposita tali probabili opinione, suspicione, aut dubio ulterius pergens bibere se usu rationis privat. Ita Gobat *tract. 5. cap. 8. sect. 5. n. 20. in suo Quinario Tractatum.*

Materialiter duntaxat ebrietas contraria sobrietati erit, quando aliquis fuit factus ebrius, non advertens ullum periculum ullius in ratione turbationis, advertit tamen à se stomachum onerari majore vini copia, quàm sitis, labores, ac aliæ honestæ circumstantiæ exigant.

Quòd si aliquis rarò vel nunquam se inebriavit, juxta Gobat mortaliter non peccabit, qui, dum computationi indulget, actu non advertit periculum ebrietatis, licèt advertat, se bibere ultra exigentiam sitis: Ratio est, quia nihil est volitum, quod antea non fuerat cognitum: ergo cùm ponatur præcognita non fuisse ebrietas, hæc etiam non fuit volita.

Si de frequenter se inebriantibus loquamur, tuetur Gobat *n.*

22. citati loci, etiam hunc mortali à peccato excusatum fore, si periculum ebrietatis non adverterit: addit tamen cum Reginaldo l. 22. n. 55. in ejusmodi habituatis vix locum habituram ebrietatem præter intentionem incursum.

Cùm igitur noster rusticus dicatur habituatus in hoc vitio, valde probabile est, eundem formaliter ebrium, & hinc gravis peccati esse reum, hac tamen probabilitate etiam supposita.

24. Dico: Transmissio, non tamen concessio, quòd omnis in mortali notorio discedens ex hac vita spoliandus sit sepultura Ecclesiastica, nostrum tamen ebrium ob solam ebrietatem suam non posse spoliari.

Probatur. Ut posset spoliari, deberet esse certum, atque notorium, quòd fuerit verè Theologicè ebrius: atqui hoc non est certum, & notorium. Prob. min. non est certum, quòd ille adverterit periculum ullius in ratione turbationis: sed si hoc non est certum, neque certum est, an fuerit formaliter, ac Theologicè ebrius, cùm advertentia prædicta sit necessaria ad forma-

lem ebrietatem. Major probatur etiam aliàs dediti inebrietati sui possunt inebriari sine advertentia hujus periculi, ut fit, dum tales fortiore, quàm aliàs habuerunt, vino inebriantur, vel dum non nisi bene pasti ordinariè aliàs inceperint bibere, semel, aut iterum jejuni multum potus, quo in inebriati fuerunt, hauserant: vel si in proxima confessione firmissimè sibi proposuerunt vitare ebrietatem, præter omnem suam opinionem facti fuerunt ebrii.

Superest examinandum, num rusticus noster sepultura sacra spoliandus sit, eò quòd in puteo mortuus præsumi possit, à se ipso in illum præcipitatus, & consequenter suicidam fuisse.

In cap. enim placuit. caus. 13. q. 5. habetur, se ipsum occidentem carere debere sepultura: ergo cùm præsumi prudenter possit, quòd ebrius se ipsum præcipitavit in puteum, carebit sepulturâ, & quidem vel maximè ex eo, quòd hic trium gravium delictorum, ebrietatis, blasphemix, & suicidii reus absque ullo signo poenitentix dato fuerit mortuus.

Dico

25 Dico tamen nostrum ebrium nequaquam amisisse jus ad sepulturam sacram. Ita in similibus casibus senserunt Hauckius in *Epinomia Parochorum verbo sepultura l. 1. n. 2. n. 17.* Socinus *consl. 51. vol. 2.* Genuensis in *pract. cap. 61. n. 20.* Gobat, Barbosa de *officio Parochi part. 3. c. 26. n. 49.* Covarruvias *Variat. l. 2. c. 1. n. 11.* Zerola in *praxi part. 2. V. sepultura.*

Prob. Juxta textum & Glosfam *cap. ex part. 1. de sepultura.* Omnis Christianus regulariter in loco sacro sepeliri debet, nisi sciatur mortuus in tali delicto, cui expressè denegata est sepultura: atqui noster rusticus non fuit mortuus in tali delicto. Probatur min. non scitur, quòd semetipsum præcipitaverit animò se occidendi: ergo &c. Prob. conseq. in citato cap. *placuit.* solum dicitur sepulturâ carere, de quo scitur, quòd se ipsum occiderit: ergo si hoc non scitur, non carebit. Atqui non scitur. Prob. potuit nimia siti æstuans attrahere aquam, ad sitim extinguendam: ergo partim ob perturbatam ex ebrietate rationem, aut ob defectum lucis

(hæc enim omnia potuerunt contingere noctu) casu in puteum decidisse, vel etiam per insidias in puteum projici.

Confirmatur. Etsi aliquis in cubiculo clauso suspensus inventus fuerit, eundem tamen sacra gleba privandum non esse variis in casibus varii Doctores definierunt, uti videre est apud Patrem Gobat in *Quinario casuum tract. 5. de Sepultura ebrii cap. 50.*

Confirmat. 2. Rodriguez citatus à Gobato *n. 59.* uti etiam Covarruvias asserunt, neque privandum sepulturâ esse, de quo constat, quòd sibi ipsi violentas manus intulerit, si aliqua conjecturæ verosimile faciant, id eum fecisse ex furore, ac aliqua mentis alienatione: ergo cum hîc adfuerit aliqua mentis ob ebrietatem abalienatio, & non constet, quòd se ipsum præcipitaverit, multò magis ad sepulturam admittendus est.

Restat, ut videamus, an non sit spoliandus sacrâ sepulturâ ob blasphemias in ebrietate prolatas. Putamus itaque neque ex hac causa eidem denegandam sepulturam sacram esse. Ratio hoc

hoc persuadens est, perturbatio rationis ex perfecta ebrietate inducta: hæc enim cum perfectum, & ad graviter peccandum necessarium rationis usum, si non omnino auferat, ita tamen debilitat, ut malitiam blasphemiarum perfecte non apprehende-

rit. Sicut igitur nimia ad certum aliud quoddam objectum distractio plenam ad illa, quæ tunc agimus, advertentiam diminuit, ac perfectum consensum tollit, ita non minus ebrietas, si non magis perfectum voluntarium diminuit.



Casus XLII.

De Duello.

Duo Prænobiles ex condito ad certum locum conveniunt, & assistentibus patrinis digladiantur: finito duellò unus illorum, cum gladium in vaginam reconderet, à suo corivali transfossus, interiit, in ipso loco fatalis congressus.

Quær. 1. Utrum tam duellantes quàm patrini incurrerint excommunicationem?

Quær. 2. Utrum occisus gaudeat sepulturâ Ecclesiasticâ?

Quær. 3. An quidam Religiosi absolvere ab hac excommunicatione reservata possint?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum
Quæsitum.

Utrum tam duellantes, quàm patrini incurrant excommunicationem?

1. Ex digladiatione una est juridicè dictum duellum: alia duntaxat rixa.
2. Debet esse pugna numero parium.

3. In-